



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

2. De accusatione Christi apud Pilatum. Matth. 20. Ioan. 23.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

tem & salutem proximorum impendenda tanto cum fœnore meritorum? Quam iure in Christo nobis contemptus dignitatum, & honorum, amor verò crucis & opprobriorum, imitandus, cum is quæsitus ad gloriam regni fugerit, quæsitus ad ignominiam crucis spontè sese obtulerit?

De accusatione Christi apud Pilatum. II.
Matth. 26. Ioan. 19.

I. **M**ANÈ factò Iesus ab vniuerso concilio Principum, Sacerdotum & Seniorum populi vincetus, ductus est ad Pilatum præsidem iudicandus & condemnandus, vt olim Samson ligatus traditus est à Iudæis in manus Philistæorum. *Iud. 15.* Quâ animi demissione, qua commiseratione, qua modestia filius Dei, constitutus à Patre Iudex viuorum & mortuorum, cui *manifesta erant abscondita cordium, corâ Iob. 19.* quo curuantur, qui portant orbem, finit se ignominiosè trahi per plateas, quas toties pertransierat benefaciendo, & sanando oppressos à diabolo, ad tribunal Iudicis gentilis. à quo sciebat se iniuste volâtati suorû hostium tradendum,

dum, ne nos traderemur principibus tenebrarum æternum cruciandi? Compassio, modestia & æquanimitas in ferendis iniurijs.

- Zach. 11.** II. Iudas pœnitentia ductus videns Christum gentibus traditum retulit principibus Sacerdotum triginta argenteos (vti prædixit Zacharias. *Tuli triginta argenteos & proieci eos in domum Domini:* (dicens: *Peccaui tradens sanguinem iustum,* & abiens laqueo se suspendit, vti alter Achitophel prius consiliarius, deinde proditor regis Davidis. Quam verè in eo completum illud Ecclesiastici: *Cor durum habebit malè in nouissimo,* & qui amat periculum, in illo peribit. Et: *Dilexit maledictionem & ueniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo, & induit maledictionem sicut vestimentum.* Quam meritò hæc omnia præuidens Christus cum gemitu illi prædixerat. *Bonum erat ei, si natu non fuisset homo ille.* En quò vsq; inordinata cupiditas pecuniæ, vindictæ, & quæuis alia initio non repressa progreditur? quomodo sensim cor inducat, demumque in barathrum desperationis præcipitat. Quam verè ingratitude iuxta D. Bern. *Inimica est anima, exinanitio meritorum, virtutum dispersio,* bene-
- Ecc. 3.**
- Psal. 108.**
- Serm. 52. in Cant.**

beneficiorum perditio, ventus urens, siccat
sibi fontem pietatis, rorem misericordiae,
fluente gratia. Horror ingritudinis,
matura & seria mortificatio passio-
num & cupiditatum.

III. Accusatur coram Pilato calum-
niosè, vti Daniel à principibus Persa- *Dan. 6.*
rum coram Dario, primùm, generatim
tanquam malefactor, deinde specia-
tim, tanquam seductor populi; prohi-
bens tributa dari Cæsari; affectator
regni: qui aduertens ex inuidia priora
duo falsò in illum conficta; de tertio,
an verè rex sit Iudæorum, Iesum in-
terrogat: cui respondet se verè regem
esse, sed regnum suum non esse de
hoc mundo. pluribus deinde ad in-
stantiam Iudæorum interrogatus, ni-
hil respondit, mirante vehementer
præside. En quàm mansuetè tot falsas
calumnias sustinere dignatur, ne nos
ob veras culpas æternùm damnare co-
gatur? Et quidem quàm internâ humili-
tate, commiseratione, quàm externâ
vultus serenitate, & constantia, vt no-
bis præberet exemplum patientiæ,
imitandiq; gratiam impetraret? Quam
auidè, vt nos à morte æterna liberet,
ad mortem temporalem properat, vt
ne verbo quidem pro sui defensione
allato, eam prorogare curet? *De*